# FRANC. ERN. BRUCKMANNI, MED. DOCT. ACAD. CÆSAR. NAT. CUR. ET SOC. REG. PRUSS...

Franz Ernst Bruckmann

72

FRANC. ERNESTI BRVCKMANNI, D.

# EPISTOLA ITINERARIA LXXII.

DE

# SYLVÆ HERCYNICÆ ANTRIS

# Die Alte- und Neue-Helle,

NEC NON

# Die Hölle

VOCATIS.

AD

*VIRVM MAGNIFICVM, PRÆNOBILISSIMVM ATQVE CLARISSIMVM DOMINVM,*

DOMINVM

HERMANNVM MÜNTER,

CONSVLEM,

QVÆSTORVM VRBANORVM SENIOREM AC SENATOREM LIBERÆ CÆSAR. AC IMPERIAL. VRBIS ANTIQVISSIMÆ LVBECENSIVM DIGNISSIMVM, CONSVLTISSIMVM NEC NON PRÆSTANTISSIMVM,

FAVTOREM COLENDISSIMVM.

*CVM FIG. ÆNEIS.*

WOLFFENB. MDCCXXXVIII.

# VIR MAGNIFICE, FAVTOR PLVRIMVM DEVENERANDE!

Ob acceptam in Senatu urbano Inclytissimæ Reipublicæ Lubecensis Consulis dignitatem, qua, die XXII. Febr. a. c. solenniter, non sine multorum gratulationibus eximiis & incolarum omnium piis votis ornatus fuisti, & ego meam hic officiose affero congratulationem, istorum latis ac candidis acclamationibus meumque calculum album ex animo addo. Omnia *Tibi*, *Vir Magnifice*, comprecor & nihil! omnia nempe prospera, læta, jucunda, felicia & prospera! Nihil mali, amari, sinistri! Votum hocce meum devotum est quidem, quoad verba brevissimum, interim tamen omnis sinceritatis nota refertissimum.

In animo diu habui, cum rerum curiosarum & historiæ naturalis *Te*, *Vir Magnifice*, summum esse æstimatorem sciam, pauca de specie quadam peculiari sylvæ Hercy-

Hercyniæ ad Te transcribere. Inter alia varia Europæ antra & ista die Alte- und Neue-Belle, nec non die Hölle vocata observare mihi licuit. Anno 1720. die 7. Aug. specum, die Neue Belle dictam, cum Con-Rectore monasterii Ilfeldensis ad fauces Sylvæ Hercyniæ sitæ doctissimo, Dom. Alb. Rittero, naturæ scrutatore curioso & docto, ac aliquot optimæ spei juvenibus, qui in laudato sapientiæ ac litterarum humaniorum gymnasio, a quo antrum unico distat milliari, studiis operam dant elegantioribus, intravi, & interiorem specum ferme quadratam esse, totum fundum aqua clara repletum & superficium, altum instar fornicis, Mulben- vel Tonnen-Gewölbe architecturæ civilis peritis dicti, vel alteri infixæ naturæ assignatum videndum notavi. Universum antrum ex rupe alabastrina alba, lapide calcario & gypseo, quod variis in locis viridi, in aliis brunea, & rursus in aliis alba crassa farinacea materia, fasinæ vel pulveris cypreæ instar, quæ mihi nil aliud esse videbatur, quam Alabastrum temporis tractu, madore, exhalationibus, aëre, pluvia & tempestatibus in talem pulverem resolutum & calcinatum, incrustatus, quæ materia admodum facile digitis abradenda, constat, vel est rupes tantum calcaria alba. Petra terræ motibus, nec non a tonitru & tempestatibus excitatis quassationibus multum passa, sæpeque adhuc singulis annis patitur damnum. Lapides dejecti grandes juxta ac saxa ponderosa ex ista rupe subinde decussi introitum hinc inde parum difficilem reddunt, partim quoque antri cavum replent, silentio ut prætercam hiatus extensos, magnas istas rimas, fissurasque apertas, varie observandas, ex eadem causa dubio procul ortas!

Latitudo in mensurando annotata fuit quinque perticarum Rhenanarum, & novem pedum; longitudo & alti-

altitudo erat una eademque cum latitudine, cum quibus tota aquæ superficies accurate quoque conveniebat.

Fig. I.

Introitus ac descensus declivis quidem, interim tamen non æque malus & periculosus, propter lapillos tamen minores, qui sub calceis interdum abeunt & se loco movent, sicque metuitur cunti interdum lapsum minantur, parum laboriosus & injucundus. Apertura antri quoque tam magna, tamque spatiosa est, quam tota specus.

Antri rudi penicillo adumbrati Iconismum ecce in fig. aspicis prima. Mons, in quo videndum, totus undique arboribus altis & fruticetis tegitur. lit. d. & e notant adhuc quoque montis elevationes, virgultis & arbustis obsitas, nec non labo ac terræ ruinis, Erd-Fälle & Erd-Senckungen appellatis, repletas.

Crassities rupis ex superiori parte perpendiculariter a lit. A. ad lit. B. est 42. pedum Rhenann. Descensus in antrum fit per planum inclinatum; a lit. C. usque ad D. (nam ad C incipit descensus in antrum, & est unius ejusdem altitudinis cum rupe A.) mensuram dat 156. pedum Rhenanorum. Ostium seu apertura specus Orientem versus patet, & est tam magna, ac ipsum antrum. Aqua, quæ abundat, admodum clara, crystallique instar pellucida est. Die 13. Novembr. ejusdem anni multo turbidior observata, quam antea; quo & tempore plus quam pedem in superficie a die 7. Aug. accreverat. Admodum frigida est, ita ut manus in illam intrusæ, statim a gelu rigidæ, retrahendæ, sed die 15 Novembr. multum jam tepidior. Ranas & pisciculos vivos immisi, sed statim in dorso reclinati, rigidi facti, nec ulterius in frigida progredi vel natare potuerunt. Aqua in vitro per sex, & quod excurrit, menses, sine ulla putredinis nota apud Dom. Ritterum in laudato museum Bleidensium fide asservata

fervata fuit. Profunditatem in medio superficiei vasis in locis notavi 5. 4. 3 filorum, fila fingula ad 6. ped. Rhenanos computata fuerunt, & ita ad 30. 24. 18. 15. pedum Rhenan. Libella aquatica in hac frigida cum aliis aquis unam eandemque retinuit altitudinem, & nihil peculiare notandum dedit. Infectum quoddam parvum in ista frigida flutans inveni, quod vero, cum statim summa cum celeritate rimam quandam petræ intraret, a me non recte fuit dignotum.

Affluxus aquæ est ex rupibus saxorumque rimis, defluxum vero istius nemo hactenus, quantum scio, observare potuit; dubio procul & per quandam latebrosam petræ aperturam in montis cavum retrocedit & ex eo alibi, locorum forsan exitum affectat?

Hæc aqua hyeme nunquam glacie tegitur, sic Ji-[illegible] frigus intensissimum, cum saltem aër medius aquilonare per orificium intrans ad introitum vix cultri dorsi crassitie glaciem tenuem afferat, quæ in statu prælaudatus Ritterus illam anno 1729. & 1732. observavit, quo tempore aliæ in vicinia aquæ, in terræ superficie existentes, plus quam dimidiam ulnæ altitudinis glaciem monstrarunt; præterea observatum, aquam die 13. Novembr. jam tepidiorem factam, quam æstate fuerat notata. Defectus tempore ficciore calido, nec non affluxus & intumescentia sub continua & diuturna pluvia, licet forte, vix sensibilis observatur, sed aqua potius nunquam non unam eandemque retinet altitudinem.

In literis quibusdam sæpe cum laude nominatus Ritterus sequentia, Tecum communicanda, ad me dedit: Aqua in antro est quadrata, ascendit & descendit, contra mentem D. Ge. Hen. Behrensii in Hercynia curiosa pag. 82. Iste celeber. Con-Rector observavit, quod anno 1720. ab æstate & die 13. Novembr. plus quam unum pe-

 dem

dem in superficie ascendisset; hoc haud difficile animadvertere potuit, cum in aestate aquae superficiem ad rupem quandam linea notavisset; & die 13. Novembr. iterum altitudinem accurate visitavisset; hoc etiam die aqua manus non tanto frigoris rigore stupidas reddidisset, quam in aestate, praeterea quoque eodem tempore aërem internum cum externo aequalem deprehendisset. Die 13. Nov. aqua nunquam non guttatim ex rimis tecti fornicisque antri, nec non rupium in specus stagnum, pluviarum instar decidentium, pluebat, quod phaenomenon aestivo tempore nunquam observatur.

Tollius, celeber olim Gymnasii Ilfeld. Rector, postea verbi divini & evangelici praeco in Moscovia, excellens mathematicus, jussit aliquando cymbam afferri in dictum antrum, hinc cum observatore istius monasterii ascendit, in animo habens, cum dicto viro in latere, in quo aqua ipsi minimam profunditatem habere visa, paene ad rupem usque ad finem natel, quo duo orificia in rupe videnda, navare, ut experimentum faceret, annon post memoratos hiatus adhuc alia antra aqua repleta observanda forent? cum, quando ab introitu antri lapides per haec orificia cum manu vi mitterentur, non alius audiretur sonitus & murmur, ac si in aquam cadentes projicerentur. In cymbam vero ingressus, levis navicula stillantes nunquam non ad aliud e regione latus, in quo summa & maxima aquae altitudo, fortiter & cum vi trahere voluit, ita ut vix absque vitae periculo redire & ex ista exire, sicque protunc, quid post orificia sit videndum, minime rescifcere potuerint.

Paulo ante meam visitationem, cadaver hominum in ista specus aqua inventum fuit. Cum quidam perticam, quam casu forsan in aquam immissam putabat, ex ista manibus retraheret, ecce, demortuus, qui cum

dicta

dicta pertica ad fundum detrusa & firmata fuerat, ex profundo ad aqua superficiem egreditur.

Aërem in- & extra antrum thermometro explorans, inveni extra specum $20\frac{1}{2}$ linearum supra temperatum; in antro vero $14\frac{1}{2}$ lineas infra temperatum; tota sic differentia aëris interni ad externum erat 35. linearum. Thermometrum in frigidam immissum, tres adhuc lineas descendit; die 13. Novembr. aërem in- & externum unum eundemque, nulloque modo differentem, annotavi; thermometrum in antro nullam patiebatur mutationem, nec descensum, nec ascensum persentiscere potuimus. In posteriori antri pariete est apertura quaedam in rupis saxo, quando lapis per istam trajicitur, in aquam ut ex sonitu judicandum, delabitur. Forsan adhuc aliud antrum post istum hiatum in monte existit? Ex musarum cultoribus, qui nobiscum ingressi, quidam animo linquebatur, forsan aërem in antro non bene potest perferre? mihi ipsi regressum meditanti & exeunti pulmones sub respiratione sibilos & rhonchos edere incipiebant.

Crucis servatoris signum ligneum sub magnitudine personali, quod olim sub pontificatu Romano in solenni processione quotannis, devotionis peculiaris ergo, ad hocce antrum portatum fuit, in templo urbano dicto oppiduli Elbrich, non procul abhinc siti, ad columnam quandam erectum hodieque monstratur.

Hoc antrum, recreationis ergo, tempore verna & aestivo amoeno, multum ab incolis civitatum Northusae, Elrici & aliarum, nec non pagorum vicinorum, frequentatur.

Expli-

## *Explicatio Fig. II.*

- A. B. est rupis crassities, cujus pars superior est Alabastrum vel marmor, inferior tantum lapis calcarius.
- C. via ad antrum.
- D. descensus in antrum.
- E. orificium post aquam in rupe, per quod lapides in antrum posterius projici possunt.
- F. G. latitudo aquæ, quæ quadrata gaudet forma.
- H. tectum quoddam seu prominentia cujusdam rupis, sub qua altissima & maxima aquæ profunditas est.
- I. adhuc alia rupis prominentia.
  - a. maxima aquæ profunditas.
  - b. media ejusdem.
  - c. minor profunditas, super quam Rect. Tollius cum cymba levi ad orificium E. iter meditatus.

De hoc antro Neue Kelle M. Henr. Eckstormii post literas ad Zach. Brendelium, Med. Jenensem, quæ in ejusdem Histor. terræmotuum pag. 227. legendæ, hic ob libri raritatem, inserere placuit:

„Cum has jam consignaturus essem, venit mihi in „mentem de specu alio, quamvis Baumanni antro „absimili, memoratu tamen non indigno. Est specus „iste aquosus in confinio Comitatus Honsteinensis & „Clettembergensis; ad ortum dimidio milliari Ilveldam, „Scholæ M. Michaelis Neandri, Viri clariss. Præceptoris mihi carissimi, apprime claram; ad occasum pari „spacio distantem habet Elricham Comitatus Clettem-„ber-

„ bergensis ciuitatem. Indigenæ vocant die Neue Kelle, ut distinguant a terræ hiatu aqua pleno, sub dio non procul inde distante, qui indigenis est die Alte Kelle. Specus autem iste subterraneus non procul abest a *Bischofroda* villa: versus septentrionem habet aditum satis amplum & patentem, adeo ut specum visentibus lucem ustam præbeat. Mons, sub quo est specus, est arboribus densus & pascuis felix, nec exsors simplicium seu plantarum rariorum, quas hic etiam investigare solent rei herbariæ studiosi. Joh. Thalius, med. celeber, in Hercynia sua scribit, in ingressu specus inveniri solanum lethale. Ad radices montis versus ortum prælabitur Zorga fluvius apud nos primarius, de montibus Hercyniæ meridionalis ortus: Elricinæ & Imperialis Northusæ muros ille alluit, & Heringæ in Helinum ingressus, cum eo per *antrum arvum* infra *Arteram* influit in Unstrudem; qui indeinde Salam prope Naumburgum magna aquarum copia reddit auctiorem.

„ Ceterum specus superiori sui parte est concameratus, saxis vivis instar fornicis a natura habentibus. Longitudo, quantum conjici potest, est circiter octodecim, latitudo sedecim perticarum, quibus agrorum finitores utuntur, & quarum singulæ pedes sedecim habent. Ab ingressu est descensus ad aquam usque declivis periculosus & adeo profundus, ut stans aliquis ad aquam stanti in aditu & despicienti non homo, sed corvus esse videatur. Aqua est limpida & tranquilla; neque decrescit illa, neque accrescit, pisces & quod vitam habeat, nescit; admodum est frigida; ejus alti-

 „ tudi-

„ tudinem nemo unquam explorare potuit. Per me-
„ dium specum κατὰ τὸ μέσον, supra aquam ex-
„ tant rupes, quæ ad instar muri aquam mediam in-
„ tersecant. Si lapis ultra istas rupes mittitur, sonitu
„ ille cum sonitu in aquas ulteriores decidens.

„ In monte specui opposito est sacellum D.
„ Johanni sacrum. Illud, pontificia superstitione
„ adhuc obtinente, statis temporibus solitus fuit in-
„ visere sacerdos seu parochus Elrichiensium, proces-
„ sione solenni instituta, Divorumque imaginibus cum
„ crucibus & vexillis prælatis. D. Johanne rite salu-
„ tato sacerdos eadem processione progressus, est ad
„ specum vicinum, & effigiem Christi [illegible] a
„ cruce pendentis in eum demisit, & [illegible] con-
„ xit. Persuasum enim erat plebi illum [illegible],
„ specum quotannis deposcere hominem, nisi ad illum
„ modum ei satisfieret. Sacerdos specu ad hunc mo-
„ dum placato & expiato populum [illegible] advoca-
„ vit his verbis:

„ **Komt und kucket in die Helle:**
„ **So komt ihr nicht in die Helle.**

„ Sed tandem finem facio τῆς διηγήσεως: Mi igno-
„ sce & vale, Vir clarissime. Elrichiæ XXVIII. April.
„ A. C. clɔ Iɔ IXC.

HENR. ECKSTORMIVS, M.
Verbi divini minister.

Alias confer. laudati jam Behrens Hercyniam curiosam pag. 80. L. Ch. Hellwigs anmuthige Berg-Historien pag. 103. Happelii Relat. curios. Part. IV. pag. 527.

Non procul ab antro descripto adest foramen, parvam quandam specum exhibens, die Hölle vocatum, in rupe quadam ex occidente - septentrionem versus situm. Ad hoc nihil notatu dignum, nisi forsan versus: Kommt und sehet in die Kelle &c. ad illud trahentis & applicandus sit? observavi. Est revera subsidentia terræ in monte, ein Erdfall, uti & tota montis vicinia talibus chasmatibus, ruinis terræ, antris & fossis referta; his & ista labes orientem versus annumeranda venit, quæ den Hunzeeloch vocatur, nam sicca & absque aqua cum observetur, vulgus instantis annonæ caritatis signum esse putat. Parum ab antro intervallo, sinistram versus, alia adhuc specus die Alte Kelle vocata, ad pedem montis conspicitur, & nihil aliud est, quam fossa adunca ad occidentem vergens, post antrum die neue Kelle sita, aqua repleta, dubio procul ex terræ labe aqua originem habens? forsan olim antrum fuit, sed in præsenti lapidibus obrutum nec non aqua repletum? vel etiam ex rupe quondam delapsa & immersa ortum fuit antrum? duæ hinc profunditates vel fossæ aqua repletæ videndæ, una albam, altera vero nigram continet aquam. Sequentem addunt & proferunt traditionem, quod tantum singulis septenniis una vice exsiccetur, hoc accolæ in proximo pago die Werne vocato observasse asseverunt.

Fig.

Fig. III. Fig. III. lit. a denotat antrum die [illegible]

b. curvamen antri aperti indicat

c. aquam albam &

d. aquam nigram innuit.

Reliquum vale, Deus T. O. M. Te, Vir *Incomparabilis atque Magnifice*, in Republicae Lubecensis emolumentum juxta ac ornamentum, diutissime foveat. Wolffenb. die 14 Jun. 1738.

Br. D.

An dem Buchbinder.

Die kleine Fig. II. wird ausgeschnitten, und über die [illegible] sauber eingeleimet.


Fig III
Ad Ep It L
c
a
d
b
Fig I
E.